



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

Quæst. IV. Circa durationem judiciorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

QUÆSTIO III. *circà* TEMPUS IN QUO JUDICIIS VACANDUM EST.

Regula, Exceptio, Replicatio, Duplicatio hic ab Autore adhibitæ, ad hæc pauca contrahuntur. Judiciis non est vacandum tempore ad honorem Divinum, aut Sanctorum Cultum consecrato, nisi contrarium suadeat necessitas, neque in Feriis ad Homines recreandos institutis, nisi Partes hoc commodum abnuant: hoc autem in Judiciis Criminalibus habet locum.

QUÆST. IV. *circà* DURATIONEM JUDICIORUM.

Juris Civilis Dispositio trienne spatium præscribat: Jus vetus absolvi litem quàm brevissimo tempore præcipiebat: Ecclesiastica negotia confici jubet Concilium Tridentinum infra biennium, *Cap. XX. Sess. XXIV. de Reform.* Alioquin recursum ad Judicem Superiorem, tanquàm ob denegatam justitiam permittebat. Autor id non observat. REG. III. QUÆST. V. *de Judiciorum adjunctis*, hodie non obtinet, ut probat Canon laudatus, in Secunda, qui jubet, ut actus Judicarii Scriptis mandentur.

Doctrina hujus Capituli in Judicio per Delegatorem celebrato, locum habet, perinde atque in cæteris: hoc insinuat Autor, QUÆST. II. Judicem Delegatum complectendo.

OBSERVATIONES in CAP. II. de JUDICE QUÆST. II. *de dando* Judice, & Foro Competenti.

De multis promiscuè rebus Autor differit, quæ sigillatim exponendæ fuerant, quarum ut detur notio perspicua & accurata, sic illæ distinguendæ sunt. 1. Institutio Judicis, sive Ordinarii sive Delegati. 2. Forum Competens. 3. Judex Suspectus. Hæc autem insignibus differentiis donantur, quæ perspicuè enucleari nequeunt, nisi singulæ seorsum discutiantur; nam v. gr. ratio, propter quam Judex suspectus fit, eum non efficit incompetentem: quod sufficit, ut Judex incompetens fiat, eum non reddit inhabilem ad Judicis officium: Suspectio non objicitur, nisi Judici competenti: incompetenti non habet locum nisi in eo, qui Judex esse potest, & est reipsa; & de viro judicandi incapaci dici nequit, eum esse incompetentem, aut suspectum: ad rectum proinde ordinem pertinet, ut distinguantur vitia, quæ incapacitatem pariunt; à defectibus, qui incompetentem efficiunt: Hicque ab iis, quæ suspicionem duntaxat inducunt. Sic Autor vitavisset istas Replicationes & Duplicationes, quæ confusionem generant, paucisque Exceptionibus circà singula Capita indiguisset.

Inter vitia, quæ incapacitatem ad Judicis Munus operantur, quædam sunt Juris Naturalis; videlicet Stupidus & Mutus à nativitate, Infans, aut Furiosus, aut Stupidus Judices esse nequeunt; & hi nullam patiuntur exceptionem.

Alia sunt Juris Humani, dispensationisque Exceptionem patiuntur. Sic Mulier, aut Servus, aut Infamis, vel Peregrinus, aut Excommunicatus, aut Infidelis, aut non Catholicus, arcentur ab hoc officio, quandiu subsistunt hæc vitia, aut ab iis dispensatum non fuit; Provisio aut Commissio ad Judicis Munus, est nulla, & consequenter actus Judicis ab ejusmodi Personis profecti, sunt nulli.

Hi, qui nullo ex vitiis prædictis laborantes, præficiuntur, ut sint Judices alicujus Regionis, sunt Judices Competentes, quoad omnia Judicia Civilia & Criminalia, quæ ibi exoriuntur; de iis intelligendum est id quod Autor, dicit eos, qui Tribunal ipsorum declinant, teneri ad probandam incompetentiam, quia hi sunt in Casu Exceptionis, quæ sola probatione indiget; cæteri sunt in Casu Regulæ cognitæ Juris. Quæ diximus, ad Judicem Ordinarium restringi debent. Secus est de Judice Delegato, quem cognos-

cere non tenentur litigantes, nisi postquam sufficienter potestatis suæ, fidem fecit.

Quemadmodum recusatio non habet locum, nisi adversus Judicem competentem, qui cum recusat, ut suspectum, tenentur pariter probare Causas Suspensionis, quam contra illum gerunt, quæ in re Judici Ordinario similis est Judex Delegatus.

Suspensionis Causæ, deducuntur ex eo, quod Judex, aut Litigans sit, aut Cognatus Litigantium, aut Domesticus, aut Dominus, aut Inimicus. Hæ Causæ ab utroque Litigatore contra Judices, quos ipse pro Suspectis habuerit, tam in Secunda Instantiâ, quàm in Primâ; tam in casu Reconventionis, quàm in alio quolibet, allegari possunt. Recusatio proponi debet antè litis contestationem, nisi fortè suspicionis Causæ post illam emerferint, aut cognitæ fuerint.

Hæ sunt Observationes, quas necessarias duximus ad fecernendum ea, quæ Autor permiscuit; ipsæ generales sunt; Argumentumque integrum QUÆST. II. respiciunt: indè indicare non potuimus loca, in quæ cadunt. Nunc ad Particulares transeundum est, quæ loca particularia attingunt. Exceptio X. locum habet in Foro Interiorem, in quo unice consideratur vita Judicis, non verò potestas ejus; cum è contra in Foro Exteriore, de potestate, non de moribus Judicis, agatur: Undè judicare in illo valet, atque etiam damnare Personas minùs apud Deum, vel etiam coram Hominibus noxias, quàm ipse fit.

Hodiè restringenda est Exceptio XIII. ad Excommunicatum Denunciatum. Exceptio XIV. ad Judicem Delegatum pertinet, à quo inchoat negotii auditione, Delegans de illo noscere nequit. Except. XV. ad Casus, in quibus Delegans tenetur ad delegandum. Except. XVI. loquitur de Casu, quo plures delegati conjunctim judicare debent. Except. XVII. de Casibus, in quibus plures ita delegantur, ut singuli seorsim judicare possint; quo casu, judicio ab uno lato, cæterorum facultas evanescit.

Exceptio XVIII. dicens, Personas Miserales, ut Pupilli & Viduæ, Imperatorem aut Pontificem Judicem habere in Possessorio, significat, illud Privilegium nasci ex eo, quod sub protectione Principis aut Temporalis, aut Spiritualis sint: illudque à Primo ad Secundum manavisse; quippe Lex laudata longè antiquior est, quàm Canones *ibid.* allegati. Concessum fuit illud Privilegium, ad propulsandam vim ab ejusmodi Personis circà possessionem. Except. XIX. simile Privilegium Regulam in Exceptionem convertit. Regula fert, ut Judex Sæcularis cognoscat de Causis realibus saltem, cum litigantes sint Laici. Actor sequitur Forum rei. Ex Privilegio Judex Ecclesiasticus earum notionem habet, cum Clerici sint Actores. Exceptio est, quandò agitur de Feudo, & quandò dubium est, an res ad Clericum aut Laicum pertineat.

Except. XX. Juxtà Penitentes Publici gaudebant prædicto Privilegio Clericali. Canon. 16. CAUS. XI. QUÆST. I. laudatus in Exceptione XXI. non dicit, Reum conveniri debere in Domicilio; sed conveniri debere coram Judice suo, nempe Judice Provinciæ, si Laicus, aut Episcopo, si Clericus sit. Altera pars Exceptionis perspicuè enucleari potest absque impedimento Replicationis & Duplicationis per *Cap. 20. de For. Comp.* supponit hoc, competentiam Judicis sumi à loco Delicti, aut Contractus, aut Domicilii, aut Situs fundi controversi, & casum excipit, quo Reus Romæ degit; nihil enim Autor adjicit, quod in hac Summa non contineatur, modò observetur Contrahentes aliquandò se adstringere, ad agnoscendum Judicem Locorum, quos incolent, cedente die Promissionis, aut alijs cujuslibet obligationis, quo in Casu Reus conveniri potest coram Judice Domicilii sui, perinde ac coram Judice loci Contractus.

Except. XXII. non habet locum, nisi in Actionibus Personalibus, in quibus Superior ab Inferiore judi-